

## De pietatis notione, quam Plato in Euthyphrone tractat.

Pietatem ab antiquis hominibus omnium virtutum summam ac gravissimam judicatam esse scripta eorum abunde testantur. Non solum poetae, ut qui natura ita comparati sint, ut divino flatu ducantur, sed etiam ceteri scriptores, in primis philosophi, quum omnino sensum pietatis ostendunt, tum certis quibusdam sententiis ingenue fatentur hoc sibi persuasum esse nihil majus esse in vita hominum, nihil gravius, nihil magnificentius pietate. Ex quibus sententiis paucas in eorum memoriam revocare liceat, qui a pueris antiquitatis studiis delectati sunt nec primoribus tantum labris veterum libros degustarunt, sed ita pertractarunt, ut legentes atque admirantes incaluerint. Quam praeclare Sophocles Herculem in Philoctete haec loquentem facit (v. 1141—1144):

— — εὐσεβεῖν τὰ πρὸς θεούς.  
ώς ταῦτα δεύτερον ἡγεῖται πατήρ  
Ζεύς. οὐ γάρ ἡδεῖται συνθήσκει βροτοῖς.  
χάν ζῶσι χάν θάνωσιν, οὐδὲ ἀπόλλυται.

Nec minus notum est illud Socratis (Xenoph. Mem. IV, 4, 19):

Παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται τοὺς θεοὺς σέβειν.

Quem Plato secutus ita dicit (Epinomis p. 989): Μεῖζον μὲν γάρ ἀρετῆς μηδεὶς ἡμᾶς ποτε πείθῃ τῆς εὐσεβείας εἶναι τῷ θυντῷ γένει.

Sed quamquam scriptores antiqui in hoc uno consentiunt pietatem omnibus reliquis virtutibus esse praeponendam et praecipua auctoritate exornandam, tamen magnopere inter se dissentiant ac disceptant, quaenam sit pietatis vis ac natura, quibus in rebus cernatur, qua et sentiendi et agendi ratione sit insignis. Quibus de rebus quam varie sit disputatum etiam apud antiquos, neminem fugere potest, qui paullulum in his studiis sit versatus. Nec mirum, quoniam vel inter eos, qui, quum christianae religioni sint addicti, lumina divina sibi immissa habere possint, iisdem de rebus maxima est dissensio ac disceptatio. Ex omnibus tamen illis multis ac variis de pietate sententiis duae praecipue apud antiquos maximam mihi vim habere videntur, una eorum, qui illam virtutem arctioribus circumscribunt cancellis et in rebus collocant externis existimantes pietatem in sacrificiis ac donis offerendis, in precibus fundendis, in ritibus et caerimonias factitandis, in reliquis rebus externis esse positam, altera eorum, qui altius sapientes et ad puriorem quandam ac sublimiorem pietatem aspirantes judicant eam ad mentem atque animum referendam esse et, quum animus humanus arctissimo cum diis vinculo sit conjunctus et quasi cognatus, ita exerceri, ut homines et cogitando et agendo deos colant atque, quantum possint, imitentur.

Quae quum ita sint, vix fieri potuit, quin Plato, qui, a praeclarissimo praeceptorre Socrate ita institutus, ut nec vulgaribus opinionibus inhaeresceret nec vanam rerum speciem aut virtutum splendorem appeteret, sed naturam rerum exploraret et ad veritatem virtutum eniteretur, totam vitam in notionibus examinandis consumpsit, praeter δικαιοσύνης et σοφίας et σωφροσύνης et ἀνδρείας notiones etiam copiosius disquireret ὁσιότητος sive εὐσεβείας. Quam notionem quum multis aliis